Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 11
Quelle:
Copyright:

Codex.

Magnifice inſpirati ſunt enim in verbis, que didicerant, et coadunati ſunt omnes in ieruſalem iocundari ſecundum diſpoſitionem domini dei iſrahel.

Edita.

Magnifice enim ſunt exaltati verbis, quibus edocti ſunt, et congregati ſunt univerſi in Jeruſalem celebrare lætitiam ſecundum teſtamentum Domini Dei Iſrael.

Neque tamen propterea Noſtra de Graeco LXX. verſa ſunt. Graecus enim Textus ſiſtit in *και ἐπισυνηχθησαν*, et *coadunati* vel *congregati ſunt*, et ultra non progreditur; imitantur tamen Graecos, apud quos apocryphus hic Liber *Esdrae Primus* eſt, genuino Libro *Primo* unacum *Nehemia* ad ſecundum locum retruſo. Finem huic Parti imponunt II. *Machabaeorum Libri*, quorum priori Elenchus *Capitulorum* LVI. praefixus eſt; poſterior vero C. 12. a v. 43. memoriam Defunctorum rite celebrat.

V.

Pars III. numerat *Foll.* 134. complectiturque *Novum Teſtamentum* hoc ordine: IV. *Evangelia*, *Epiſtolae Pauli*, *Actus Apoſtolorum*, *Epiſtolae Canonicae. I. Joh.* c. 5. v. 7. ſic habetur: *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in terra. ſpiritus aqua et ſanguis. Et tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in celo. pater. uerbum. et ſpiritus ſanctus. Et hij tres unum ſunt.* Claudit Opus decumanum *Apocalypſis*, cujus 11. ultimas lineas minori laciniae inſcriptas Compactor inter *fol.* 132 et 33. inſeruit, monente id ad calcem *Gallo* quondam poſſeſſore, qui tamen non monuit, plura Folia a me ſuperius indicata excidiſſe. Ceterum obſervaverit Lector, praeter *Baruch* etiam huic Bibliothecae Divinae *Pſalterium* deeſſe. Ego vero addo, ſingulos paene Libros inſtructos eſſe Prologis *Hieronymi*, aut aliis illis Argumentis, quibus in Bibliis gloſſatis praemuniri conſuevere.

VI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3051 XIII. Folior. 340. f. maj. per duas columnas luculente exaratus, coloribus diſtinctus, et quondam, ut ad calcem notatum eſt, *Domus ſancti Joh. baptiſte In Seycz*, quae fuit Carthuſia *Styriae* inferioris, eſt Pars Prior *S. Bibliorum* Verſionis vulgatae, *Hieronymi Prologis* et ſolitis *Argumentis* inſtructae, et conſueto ordine decurrentis usque ad finem L. *Job*, quem, neſcio qua ratione factum, excipiunt D. *Pauli Epiſtolae*, in quibus haec Pars terminatur. Librum *Esdrae* II. haec ſolum modo Nota miniata diſtinguit: *Verba Neemie filij helchie;* et ad ejus calcem: *Explicit liber hesdre.* Igitur